MASTER
NEGATIVE
NO. 92-80749-5

AUTHOR:
SCHMIDT , LEOPOLD

TITLE:
COMMENTATIO DE EIRONOS NOTIONE . . .

PLACE:
MARBURGI

DATE:
[1873]

Master Negative #

92-80749-5

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Schmidt, Leopold, 1824-1892.
...Commentatio de εἴρωνος notione apud Aristonem et Theophrastum. Marburgi, typis N.G. Elwerti, [1873]
xii p. 26 cm.

At head of title: Indices lectionum...quae in Academia Marburgensi per semestre aestivum..1873 habendae proponuntur...

374233

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 13 1/2X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 9/21/92 INITIALS SS
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

1.0 1.1 1.25 1.4 1.6 1.8 2.0 2.2 2.5 2.8 3.2 3.6 4.0 4.5 5.0 5.6 6.3

INDICES LECTIONUM

ET

PUBLICARUM ET PRIVATARUM

QUAE IN

ACADEMIA MARBURGENSI

PER

SEMESTRE AESTIVUM

INDE A D. XXI. M. APRILIS USQUE AD D. XV. M. AUGUSTI MDCCCLXXIII

HABENDAE PROPONUNTUR.

Praemissa est *Leopoldi Schmidtii* commentatio de εἴρωνος notione apud Aristonem et Theophrastum.

MARBURGI.

TYPIS ACADEMICIS N. G. ELWERTI.

ACADEMIAE MARBURGENSIS

RECTOR CUM SENATU

COMMILITONIBUS DILECTISSIMIS

S. P. D.

Ad illustrandam sentiendi et cogitandi diversitatem, quae inter Graecos et nostrates intercedit, si quid aliud illud valet, quod vocabula, quibus notiones morales illi designabant, saepenumero eis quae in nostra lingua adhibentur non respondent: nam ut nonnunquam apud eos duo vocabula leni discrimine distincta in usu erant, quorum significationes nos uno nomine comprehendere solemus, ita illi haud raro ea ad eandem notionem referebant, quae nobis omnino seiungenda videntur, immo vel illud accidit ut rem aliquam sive ad virtutem sive ad pravitatem morum spectantem certo verbo designarent, quod prorsus simili in germanica lingua exprimi nequit. Veluti quod sanitatem illam et sobrietatem mentis, ex qua secundum eos et moderatio animi et alieni iuris aestimatio et prudentia in agendo fluebat, σωφροσύνην appellabant, quae vox quomodo accommodate simul et simpliciter germanice reddi posset nemodum excogitavit. Simile est quod eam animi indolem, quae ne ulla vel petulantia vel turpitudine sive alios homines sive deos sive leges divinas laedat sedulo cavet, αἰδῶ, eam autem, quae vitando omni hominum vituperio unice est intenta, αἰσχύνην antiquitus vocabant distinctione satis subtili ac iam Aristotelis aetate minus intellecta, quam nos et ipsam imitari nequimus. Quod contra ut unum adhuc exemplum eligam, in quo illorum sermo accuratione nostro cedebat, φιλοτιμίας vocem et in laudem et in probrum vertebant, quia eam et ad illos applicabant qui vero honoris studio, in quo ipsum virtutis fundamentum magna ex parte positum esse videbatur, in agendo duce-

bantur et ad illos qui nimia ambitione in omnia alia abripiebantur. Veruntamen ea diversitatis inter graecum et germanicum sermonem obtinentis exempla quae hucusque attuli eiusmodi sunt ut amplius pertractata in intimos sensus moralis quasi recessus ducant, quocirca eis nunc insistere nolo, sed malo similis diversitatis exemplum quoddam proponere, quod ad communis vitae observationem spectat, quae quidem apud Graecos, ac maxime quidem apud Athenienses, et latius patebat et in tanta singulorum agendi libertate longe plures hominum species patefacere poterat quam apud nostrates. Nimirum nos et inanes iactatores novimus et homines sincere et modeste de se loquentes: at tertium genus, quod propriae laudi quam plurimum detrahere studet, nobis fere ignotum est. Graeci contra, qui mutuo hominum commercio multo maiorem operam dabant quam nos solemus atque omnes rationes inde fluentes attentissime prosequebantur, cum etiam vitiosum illum modestiae excessum saepenumero in vita conspicerent, singulari eum eoque satis trito nomine designabant, nam *εἴρωνας* eos appellabant qui tali modo gloriosis iactatoribus erant oppositi. Quam vocem quod nos non possumus nisi ita exprimere ut circumscribendo quodammodo ***Selbstverkleinerer*** illos homines appellemus, ipsa locutionis molestia sentimus rem parum consuetam indicari. Ceterum ad hanc differentiam nescio an praeter pleniorem illam Graecorum observationem aliqua ex parte etiam id contulerit, quod nos leniorem quendam modestiae excessum non aegre ferimus, Graeci eum a viri dignitate nonnihil alienum iudicabant. Unde factum est ut vel facies *εἴρωνος* masculo fere decore carere crederetur, quae res ex his Pseudoaristotelis verbis in Physiognomicis intellegitur (808 a 27): *εἴρωνος σημεῖα πίονα τὰ περὶ τὸ πρόσωπον, καὶ τὰ περὶ τὰ ὄμματα ῥυτιδώδη· ὑπνῶδες τὸ πρόσωπον τῷ ἤθει φαίνεται.* Quanquam illud quidem attentione dignum est, quod nonnunquam veteres dubitasse videntur num *εἴρωνος* habitus pro vitioso omnino esset ducendus, non quo non displicuerit, sed quia Socrates, vir integerrimus, *εἰρωνείᾳ* clarus erat, quae res e satis memorabili hoc Ciceronis loco in Academicorum priorum libro secundo (c. 5, § 15) elucet: 'Socrates autem de se ipse detrahens in disputatione plus tribuebat eis, quos volebat refellere. Ita cum aliud diceret atque sentiret, libenter uti solitus est ea dissimulatione, quam Graeci *εἰρωνείαν* vocant: quam ait etiam in Africano fuisse Fannium, idque propterea vitiosum in illo non putandum, quod idem fuerit in Socrate'. Neque etiam e Graecorum sensibus omni semper in vitae commercio *εἰρωνείᾳ* careri posse inde apparet, quod ne *μεγαλόψυχον* quidem in hominum minus familiarium usu eam prorsus vitare Aristoteles profitetur, qui in Ethicorum Nicomacheorum libro quarto p. 1124 b 29 de eo ita loquitur: *διὸ καὶ ἀληθευτικός, πλὴν ὅσα μὴ δι' εἰρωνείαν· εἴρων δὲ πρὸς τοὺς πολλούς*

(ita enim necessario scribendum est, non *εἰρωνεία*, quod ex item corrupto *εἴρωνα* per correctionem ortum esse videtur).

Qui autem factum sit ut Socrates potissimum a veteribus inter *εἴρωνας* numeraretur, haud difficile intellegi potest, si eius et philosophandi et cum aliis confabulandi consuetudo respicitur. Etenim quod ille nihil se scire, sed quaerere verum tantummodo profiteri solebat, id non e sincera animi sententia, sed ex ficta modestia proficisci homines putabant, ita ut pro scientiae dissimulatore haberetur. Quae res ut apertissime cognoscitur e loco Platonis in libro primo de republica p. 337 a, ubi, postquam de iustitiae natura interrogatus Socrates responsum recusavit, haec dicit Thrasymachus: *Ὦ Ἡράκλεις, αὕτη 'κείνη ἡ εἰωθυῖα εἰρωνεία Σωκράτους, καὶ ταῦτ' ἐγὼ ἤδη τε καὶ τούτοις προὔλεγον, ὅτι σὺ ἀποκρίνασθαι μὲν οὐκ ἐθελήσοις, εἰρωνεύσοιο δὲ καὶ πάντα μᾶλλον ποιήσοις ἢ ἀποκρινοῖο, εἴ τίς τί σε ἐρωτᾷ*, ita fortasse magis etiam eo illustratur, quod in Gorgia p. 489 e Callicles et Socrates, quorum ille *βελτίονα* idem esse quod *κρείττονα* contendit, hic accuratiorem notionis definitionem postulat, invicem sibi *εἰρωνείαν* exprobrantes ita loquuntur: *Κ. εἰρωνεύει, ὦ Σώκρατες. Σ. μὰ τὸν Ζῆθον, ὦ Καλλίκλεις, ᾧ σὺ χρώμενος πολλὰ νῦν δὴ εἰρωνεύου πρός με.* Neque quod ad vocis vim attinet abs re est cum his Cratyli dialogi p. 384 a verba comparare, ubi Hermogenes Cratylum plenam sententiam de nominum natura aperire nolle ita queritur: *οὔτε ἀποσαφεῖ οὐδὲν εἰρωνεύεταί τε πρός με.* Verum ad hoc illud quoque accedebat, quod Socrates fere eis quos conveniebat quantum fieri poterat admirationem significare atque si quo praestantiae genere excellere putabantur id non sine quodam lusu praedicare solebat. Utrumque autem Philodemus, qui in libro decimo de vitiis, cuius notitia per papyros Herculanenses ad nos pervenit*), *εἰρωνείας* effigiem exhibuit, in ea descriptionis parte, in qua manifesto Socrates respicitur (33. 34), his verbis coniungit: *κἂν ἐπαινῇ τις αὐτὸν ἢ κελεύῃ τι λέγειν ἢ μνημονευθήσεσθαι φῶσιν αὐτόν, ἐπιφωνεῖν· ἐγὼ γὰρ οἶδα τί παρὲξ τούτου, ὅτι οὐδὲν οἶδα; καί· τίς γὰρ ἡμῶν λόγος; καί· εἰ δή τις ἡμῶν ἔσται μνεία, καὶ πολὺν εἶναι τῷ μακαρίζειν, τῆς φύσεως οἷοί τινες ἢ τῆς δυνάμεως ἢ τῆς τύχης, καὶ μὴ ψιλῶς ὀνομάζειν, ἀλλὰ Φαῖδρος ὁ καλός καὶ Λυσίας ὁ σοφός, καὶ ῥήματα ἀμφίβολα τιθέναι, χρηστόν, ἡδύν, ἀφελῆ, γενναῖον, ἀνδρεῖον, καὶ παρεπιδείκνυσθαι ἀσμένως σοφά, προσάπτειν δ' ἄλλοις τισίν, ὡς Ἀσπασίᾳ καὶ Ἰσχομάχῳ Σωκράτης καὶ πρὸς τοὺς ἐκ τῶν ἀρχαιρεσιῶν ἀπολυομένους ἐδοκιμάσθης.*

Verum quae in Socrate partim erat partim esse videbatur *εἰρωνεία*, ea ut

*) Cf. Philodemi de vitiis liber decimus, ad voluminis herculanensis exempla neapolitanum et oxoniense distinxit supplevit explicavit H. Sauppius, Vimariae MDCCCLIII. In restituendis verbis Sauppii rationes secutus sum. Quae post ea quae supra exhibita sunt sequuntur, non iam ad Socratem referri possunt.

modica erat ita multae cum ea et virtutes et ingenii dotes coniunctae cernebantur: at si qui homo ita se gerebat ut in omni vitae ratione εἴρων appareret, non poterat non eius species plene adumbrata risum movere. Ac talis εἴρων quin a novae comoediae Atticae poetis, qui in moribus depingendis singularem operam collocabant, nonnunquam in scenam sit productus eo minus dubitari potest, quia philosophi ethici, ad quos illi libenter se applicabant, eius indolem singulari amore perscrutabantur et describebant, unde factum est ut tres eiusmodi descriptiones aetatem tulerint. Nam et Aristoteles in Ethicis Nicomacheis de εἴρωνος natura breviter quidem sed ita egit ut rei summam definiret*), et in characterum libello qui e Theophrasti operibus est excerptus satis lepida εἴρωνος notatio reperitur, et Philodemus, qui ipse Epicuri scholae erat addictus, Aristonis Peripatetici vestigiis innixus eius imaginem adumbravit. Quas quidem descriptiones si inter se comparamus, illud quidem satis memorabile se offert, quod de ipsa εἴρωνος indole Aristoteles quidem et Philodemus, id est Aristo, plane consentire videntur, Theophrastus autem aliquanto diversam talis hominis notionem proponere. Scilicet Aristoteles et Aristo talem εἴρωνος imaginem exhibent, secundum quam ille suam virtutem suamque scientiam quovis modo celat aliosque se superiores esse fingit: quod contra Theophrastus eum talem depingit, ut omnia dissimulando aliis hominibus fraudem faciat. Atque Casaubonus, qui quidem Philodemi libellum nondum notum habebat, in commentariis ad Theophrastum eo progressus est ut duas illius vocis notiones apud veteres exstitisse putaret, unam ex qua hominem nimiam quandam modestiam cum facetiis et iocandi arte coniungentem significaret, alteram ex qua εἴρων sui commodi et alieni incommodi causa omne genus dissimulationis exerceret. Atque haec opinio postquam diu obtinuit, nuper Petersenius in characterum editione a. MDCCCLIX emissa p. 82—84 eam ita impugnavit ut εἴρωνα Theophrasti ab eo de quo Aristoteles et Aristo narrant nihil differre contenderet. Etenim Theophrasteam descriptionem cum Aristonis magnae similitudinis vinculo contineri, consensum autem inter Aristonis εἴρωνα et Aristotelis vel inde elucere, quod Socratem ille aperte respiceret, hic pro exemplo expressis verbis afferret. Praeterea ipsa verborum graecorum interpretatione iniquius de Theophrasti dissimulatore Casaubonum

---

*) Loci hi sunt. L. II, p. 1108 a 19: περὶ μὲν οὖν τὸ ἀληθὲς ὁ μὲν μέσος ἀληθής τις καὶ ἡ μεσότης ἀλήθεια λεγέσθω, ἡ δὲ προσποίησις ἡ μὲν ἐπὶ τὸ μεῖζον ἀλαζονεία καὶ ὁ ἔχων αὐτὴν ἀλαζών, ἡ δ' ἐπὶ τὸ ἔλαττον εἰρωνεία καὶ εἴρων. L. IV, p. 1127 a 20: δοκεῖ δὴ ὁ μὲν ἀλαζὼν προσποιητικὸς τῶν ἐνδόξων εἶναι καὶ μὴ ὑπαρχόντων καὶ μειζόνων ἢ ὑπάρχει, ὁ δὲ εἴρων ἀνάπαλιν ἀρνεῖσθαι τὰ ὑπάρχοντα ἢ ἐλάττω ποιεῖν. ὁ δὲ μέσος αὐθέκαστός τις ὢν ἀληθευτικὸς καὶ τῷ βίῳ καὶ τῷ λόγῳ κτλ. Atque has definitiones Magnorum Moralium et Ethicorum Eudemiorum auctores plus semel reddiderunt (cf. 1193 a 28. 31; 1221 a 6. 25; 1234 a 1).

iudicare: nempe neque pactionibus illum non stare neque eo consilio ut alios pecunia emungeret se vendere simulare significatum esse, quae esset docti Helveti sententia. Atque hoc extremum haud dubie recte Petersenius existimat: nam verba Theophrastea καὶ ὁμολογήσας μὴ μεμνῆσθαι, quae ad malam in praestandis pactis fidem Casaubonus rettulerat, hoc tantum indicare videntur εἴρωνα, si inter confabulandum olim alteri assensus erat, id facile postea se oblitum esse fingere, nec magis venditionis simulatio, quae ei tribuitur, eo spectat ut pecunia alios defraudare studeat. Nihilominus tamen in eo Petersenius a vero aberravit, quod sic descriptum dissimulatorem cum Aristotelis et Aristonis omni ex parte conspirare arbitrabatur. Hic enim, qui nimia modestia insignis est aliisque quovis modo se subiicit, etsi reliquis hominibus non semper laudabilis videri potest, tamen, siquidem certos fines non excedit, eis gratus esse solet, id quod Aristoteles ipse significat (Eth. N. IV, 1127 b 22: οἱ δ' εἴρωνες ἐπὶ τὸ ἔλαττον λέγοντες χαριέστεροι μὲν τὰ ἤθη φαίνονται· οὐ γὰρ κέρδους ἕνεκα δοκοῦσι λέγειν, ἀλλὰ φεύγοντες τὸ ὀγκηρόν· μάλιστα δὲ καὶ οὗτοι τὰ ἔνδοξα ἀπαρνοῦνται, οἷον καὶ Σωκράτης ἐποίει, cf. ib. 29: οἱ δὲ μετρίως χρώμενοι τῇ εἰρωνείᾳ καὶ περὶ τὰ μὴ λίαν ἐμποδὼν καὶ φανερὰ εἰρωνευόμενοι χαρίεντες φαίνονται). Id vero prorsus contra est in Theophrasteo, cuius ratio universa eo spectat ut quovis praetextus genere adhibendo caveat ne homines quidquam a se postulent sibique molesti fiant. Nimirum hoc consilio aegrotum vel fessum, si quis se convenire vult, se esse fingit, symbolam petentibus vel pecuniam mutuam rogantibus paupertatem praetexit, si quis suo testimonio aliquid confirmari posse putat, rem se vidisse vel audivisse negat, de opinione quaerenti se deliberaturum esse sive rem non nosse respondet, si quis minus honorifica de altero refert, narrationi se diffidere simulat, scilicet ne consuetudinis cum illo rationem mutare cogatur, nec minus cum hominibus invisis et obtrectatoribus comiter agit, ut coniunctum cum aperta inimicitiae significatione laborem defugiat. Omnia igitur ita instituere studet ut ab incommodis quae ex usu hominum nascuntur quam maxime liber maneat. Iam vero quaeritur qui factum sit ut iste εἴρων atque ille, cuius exemplum est Socrates, eodem nomine appellarentur: id quod non difficile explicari posse videtur, si Aristotelea descriptio cum eis quae ab Aristone et Theophrasto profectae sunt recte comparatur. Etenim magnus Stagirita haud singillatim εἴρωνος speciem adumbrat, sed solummodo naturam ea ratione quam fere adhibere solet definit: nam ut omnino secundum eum vitium aliquo excessu continetur, virtus autem inter duo vitia tanquam medium interposita est, ita is qui nimium sibi laudis arrogat ei est ἀλαζών, is qui minus quam par est εἴρων, is qui iustum modum tenet et de se ea praedicat quae vere praedicari possunt sincerus sive ἀληθευτικός. Ac magistro quidem, qui

doctrinae ethicae fundamenta iecit, haec sufficere poterant, verum discipulis, qui
ad mores graphice depingendos ita inclinabant ut inter philosophiam et poesim
comicam tanquam vinculum nectere viderentur, cum quadam necessitate ea se
quaestio offerebat, quid omnino homines ad εἰρωνείαν induceret. Nimirum ἀλαζο-
νείαν nimia famae appetitione excitari apparet: atqui de sua laude consulto ali-
quid detrahere ab hominis natura quodammodo alienum videtur. De qua re duo
illi philosophi Peripatetici, quorum ad nos memoria pervenit, diverse iudicarunt.
Atque Aristonis, cuius descriptio talis est ut cum sui obtrectatione nimiam erga
omnes comitatem iste homo coniungat, sententia inde elucet quod uno loco signi-
ficat εἴρωνα esse plerumque ἀλαζόνος εἶδος, in quo quidem viam a magistro demon-
stratam amplius prosequitur, secundum quem interdum haec est εἰρωνείας causa
(Eth. N. IV, 1127 b 27: καὶ ἐνίοτε ἀλαζονεία φαίνεται, οἷον ἡ τῶν Λακώνων ἐσθής·
καὶ γὰρ ἡ ὑπερβολὴ καὶ ἡ λίαν ἔλλειψις ἀλαζονικόν). Scilicet qui sua merita verbis
elevare videtur simulque aliis caute blanditur, longe magis quam iactator illorum
in se oculos conversum seque ab eis laudatum iri sperare potest: nec dubitan-
dum quin eiusmodi εἴρωνες inter Graecos multi fuerint. Verum praeterea alia
εἰρωνείας causa cogitari potest. Nempe qui sive divitiis sive prudentia sive ali-
quo alio praestantiae genere excellit, ab eo reliqui homines multa postulare
solent, idque cum maxima haud raro molestia: quae res illum, si est tranquilli-
tatis studiosus et ad desidiam inclinat, facile movere potest ut bonum quo est
praeditus dissimulet. Atque hic quidem cum haud dubie frequentissimus εἰρωνείας
fons fuerit, factum esse videtur ut vocabulum paullo latiore significatione ad
omnes eos transferretur qui ob aversum ab officiis et labore animum quidquid
homines a se petunt vel simulando vel dissimulando a se arcere student: unde
Theophrastea illa descriptio lucem accipit.

Nec mirum est his recte intellectis partem certe earum dubitationum, quae
in restituendo primo capite Theophrasteo editoribus obortae sunt, paullo con-
fidentius solvi posse: in quo quidem illud semper tenendum est verba eius qui
e pleniore opere haustas sententias in brevius coegit non ad eandem amussim
limari debere atque ipsius auctoris. Ac propterea mirum in modum falsus
est Meierus (opuscc. acad. II, 252), cum verbis καὶ τούτοις συλλυπεῖσθαι ἡττωμένοις
καὶ συγγνώμην δὲ ἔχειν τοῖς αὐτὸν κακῶς λέγουσι καὶ ἐπὶ τοῖς καθ᾽ ἑαυτοῦ λεγομένοις
vocem qualis est δόξαι vel προσποιήσασθαι addendam opinaretur: cum enim non
malignitate sed desidia quadam iste homo apertam inimicitiam devitet, haudqua-
quam opus est simulationis significationem hic efferri: nec magis necessarium
quod inter καί et ἐπί voces ille inserendum putavit μὴ ἀγανακτεῖν. In simili
errore versatus est Fossius, cum ante verba προσποιήσασθαι ἄρτι παραγεγονέναι

ex eis quae sequuntur haec assumenda existimaret: πρὸς τοὺς δανειζομένους καὶ
ἐρανίζοντας: neque enim eos solum qui pecuniam poscunt sed omne visitantium
genus talia praetexendo a se arcere studet, quae res breviter quidem sed ad
excerptionum rationem accommodate sic exprimitur: καὶ τοῖς ἐντυγχάνειν κατὰ
σπουδὴν βουλομένοις προστάξαι ἐπανελθεῖν, καὶ προσποιήσασθαι ἄρτι παραγεγονέναι καὶ
ὀψὲ γενέσθαι αὐτὸν καὶ μαλακισθῆναι. Scilicet non iniuria, si quid video, Schneiderus
eumque secuti plurimi post μαλακισθῆναι haec verba collocarunt, quae in codicibus
manifesto errore post ἐπανελθεῖν posita reperiuntur: καὶ μηδὲν ὧν πράττει ὁμολο-
γῆσαι, ἀλλὰ φῆσαι βουλεύεσθαι, quae quantum ad describendam hominis indolem
valeant, facillime intellegitur: is enim, ne consilia sua et agendi rationes cum
aliis communicare cogatur, ea se adhuc meditari fingit in quibus iam perficiendis
est occupatus. De verbis quae sequuntur καὶ πρὸς τοὺς δανειζομένους καὶ ἐρανίζοντας
ὡς οὐ πωλεῖ, quanquam Petersenii coniecturam ὡς αὐτῷ δεῖ satis elegantem esse
minime negaverim, tamen nescio an rectius ei iudicaverint qui inter ἐρανίζοντας
et ὡς lacunam esse statuerunt. Nam ut diversissima cogitari possunt praetexta,
quibus ad depellendos homines pecuniam postulantes εἴρων usus fuerit, ita illud
vel maxime cum eius ingenio congruit, quod pro temporum ratione nunc non
vendere se aliquid nunc vendere contra rei veritatem affirmat: scilicet eam rem,
cuius possessione dives videri possit, mox se venditurum esse coram sodalibus
non empturientibus fingit, at rem venalem a se non venditum iri dicit, si minus
acceptus est emptor. Quae si recte disputata sunt, post dissimulationem ven-
ditionis, ad quam manca vocabula ὡς οὐ πωλεῖ spectant, eiusdem simulatio com-
memoratur, ut in verbis quae sequuntur καὶ μὴ πωλῶν φήσει πωλεῖν participium
et infinitivum permutare, id quod Petersenius proposuit, haudquaquam opus sit.
De ultima autem capitis parte idem vir doctus quaedam statuit, quae vix probari
posse videntur. Etenim quod e verbis corruptis λέγει ἑαυτὸν ἕτερον γεγονέναι
reiecta simplicissima Fossii emendatione λέγεις αὐτὸν ἕτερον γεγονέναι haec sibi
efficere visus est: λέγει ἑαυτὸν ἑτέρου ἀκηκοέναι, in eo dubitari nequit quin a vero
aberraverit. Nam ut taceam illa coniectura adhibita orationem directam quae a
grammaticis vocatur indirecta satis ineleganter interrumpi, secundum eam εἴρων
illi cum quo colloquitur aperte significat eius narrationi propterea se minorem
fidem habere, quia rem ab alio aliter relatam acceperit, id quod non dissimu-
latoris est, sed hominis prudentis et sinceri. Nec rectius in eo Petersenius egit,
quod verba ἀλλ᾽ ὅρα μὴ σὺ θᾶττον πιστεύεις ab εἴρωνος sermone divellit et cum
interpolatoris, qui suum fetum fini capitis subnexuit, praeceptis coniunxit. Immo
si et haec antiquiori libelli parti tribuuntur et supra memorata Fossii coniectura
λέγεις αὐτόν κτλ. recipitur, aptissime procedunt εἴρωνος dicta. Illi enim cum de

aliquo amico minus honesta narrantur, summopere id aegre fert, non ab amorem sed quia nihil magis veretur quam ne cum eo de re expostulare cogatur, quo fit ut istam scientiam quam maxime potest a se arcere studeat. Atque ob hanc quidem causam nullum est genus dubitationis quod non proferat. Itaque incredulum animum talia exclamando significat: *οὐ πιστεύω· οὐχ ὑπολαμβάνω· ἐκπλήττομαι*, quibus accedit paullo posterius collocatum *παράδοξόν μοι τὸ πρᾶγμα*, et a sibi cognita amici indole rem narratam prorsus abhorrere atque hunc ipsum longe diversa rettulisse affirmat, eo enim illa spectant: *λέγεις αὐτὸν ἕτερον γεγονέναι· καὶ μὴν οὐ ταῦτα πρὸς ἐμὲ διεξῄει.* Immo pro re nata vel eo progreditur ut narrantem a se propellat et ad alium auditorem ableget (*ἄλλῳ τινὶ λέγε*), verum cum inde facile nova incommoda nasci possint, eo fere confugere mavult ut vel prorsus in suspenso rem relinquat (*ὅπως δὲ σοὶ ἀπιστήσω ἢ ἐκείνου καταγνῶ ἀποροῦμαι*) vel hunc sibi allata praepropere credidisse suspicetur (*ἀλλ' ὅρα μὴ σὺ θᾶττον πιστεύεις*).

Ceterum illud studium praetexta quaerendi, quibus quis vel deterior vel debilior quam est esse videatur, apud oratores quoque Atticos non semel *εἰρωνείας* nomine appellatur. Ita Demosthenes dicit in prima contra Philippum oratione § 7: *ἂν τοίνυν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι ...... ἕκαστος ὑμῶν, οὗ δεῖ καὶ δύναιτ' ἂν παρασχεῖν αὑτὸν χρήσιμον τῇ πόλει, πᾶσαν ἀφεὶς τὴν εἰρωνείαν ἕτοιμος πράττειν ὑπάρξῃ κτλ.* et § 37: *οἱ δὲ τῶν πραγμάτων οὐ μένουσι καιροὶ τὴν ἡμετέραν βραδυτῆτα καὶ εἰρωνείαν*, nec aliter Dinarchus in oratione contra Aristogitonem § 11: *ἔπειτ' εἰρωνεύεσθε πρὸς ὑμᾶς αὐτούς, καὶ περὶ Ἀριστογείτονος μέλλοντες φέρειν τὴν ψῆφον ἐλεεῖτε.* Quae res haud fugit Demosthenis imitatores, quorum is qui epitaphium conscribillavit haec profert § 18: *καὶ τῆς παρὰ τοῖς Ἕλλησιν ἀγνοίας μεμιγμένης κακίᾳ, ὅτ' ἐνῆν ταῦτα κωλύειν ἀσφαλῶς, τὰ μὲν οὐ προορώσης τὰ δ' εἰρωνευομένης κτλ.*, is autem qui prooemia composuit haec exhibet c. 14: *εἰ μὲν τοίνυν μηδένα καιρὸν οἴεσθε ἥξειν, ὃς εἴσω τῆς εἰρωνείας ἀφίξεται ταύτης, καλῶς ἂν ἔχοι τοῦτον τὸν τρόπον διάγειν.* Nec mirum est veterum lexicorum auctores, qui ex oratorum operibus multa haurire solebant, hanc vocabuli vim non neglexisse: eo enim spectant quae in lexico in Bekkeri Anecdotis t. I, p. 243 leguntur: *εἰρωνεία τὸ ἐναντίον ἐστὶ τῇ ἀλαζονείᾳ, ὅταν δυνάμενός τις ποιῆσαι φάσκῃ μὴ δύνασθαι. ἀλαζὼν γάρ ἐστιν ὁ ἐπὶ πλέον τὰ ἑαυτοῦ κομπάζων καὶ αὔξων, εἴρων δὲ ὁ ἐπὶ τὸ ἧττον ἄγων καὶ μειῶν.*

Ex eis quae hucusque disputata sunt satis, ut opinor, cognosci potest, qualis informatio audita *εἴρων* voce in Graecorum mentibus orta sit. Atque ipsum hoc adiectivum propriam notionem constanter servavit, in vocabulis autem inde derivatis ea nonnunquam vel latior fiebat vel immutabatur. Id quod maxime in adiectivum quod est *εἰρωνικός* cadit: illud enim tantum abest ut propriae virtutis dissimulationem spectet ut semper aliquam petulantis irrisionis

significationem habeat. Ita Plato et in Euthydemo p. 302 b de Dionysodoro, qui Socratem cavillatur, haec dicit: *καὶ ὅς, εἰρωνικῶς πάνυ ἐπισχὼν ὥς τι μέγα σκοπούμενος*, et in Convivio p. 218 d de Socrate ipso Alcibiadem illudente: *καὶ οὗτος ἀκούσας μάλα εἰρωνικῶς καὶ μάλα ἑαυτοῦ*, neque ab his diversum est quod in Sophista p. 268 a et 268 c inter eos oratores vel sophistas, qui iusti ideam se nosse ipsi opinantur, atque eos, qui eiusmodi notitiam populum fallentes fingunt, ita distinguit ut illos *ἁπλοῦς μιμητάς*, hos *εἰρωνικοὺς μιμητάς* appellet. Quid? quod in Legum libro decimo p. 908 e vel eos qui religionem ludibrio habent — neque enim de dissimulatoribus hoc loco sermo esse potest — *τῷ εἰρωνικῷ εἴδει* adnumerat (*τὰ δὲ νόμων ἄξια θέσεως δύο, ὧν τὸ μὲν εἰρωνικὸν οὐχ ἑνὸς οὐδὲ δυοῖν ἄξια θανάτοιν ἁμαρτάνον, τὸ δὲ νουθετήσεως ἅμα καὶ δεσμῶν δεόμενον*). Similiter in Amatorum dialogo p. 133 d rivalium unus, qui Socratis rationem ludendo imitatur, *μάλα εἰρωνικῶς* duplex responsum dedisse dicitur. Quemadmodum autem transitus ab *εἴρωνος* significatione ad *εἰρωνικοῦ* factus sit, nescio an e Vesparum Aristophaneae versu 174 — cui allatus supra e Platonis Sophista locus aliqua ex parte cognatus est — disci possit, ubi Xanthias Philocleonem *εἰρωνικῶς* egisse vociferatur, quod praetextu invento Bdelycleonem eo adegerit ut se dimitteret: coniuncta scilicet est cum irrisione consilii calliditas. Verum sic immutata notio non solum ad adiectivum *εἰρωνικός* et adverbium *εἰρωνικῶς* pertinet, sed etiam in verbo *εἰρωνεύεσθαι* et substantivo *εἰρωνεία* hic illic comparet. Scilicet et in Platonis Sophista p. 268 b idem orator, qui paullo ante inter *εἰρωνικοὺς μιμητάς* erat relatus, *δημοσίᾳ τε καὶ μακροῖς λόγοις πρὸς πλήθη δυνατὸς εἰρωνεύεσθαι* vocatur, et in Convivio p. 216 e Alcibiades de Socrate haec profert: *ἡγεῖται δὲ πάντα ταῦτα τὰ κτήματα οὐδενὸς ἄξια καὶ ἡμᾶς οὐδὲν εἶναι, λέγων μὲν οὔ, εἰρωνευόμενος δὲ καὶ παίζων πάντα τὸν βίον πρὸς τοὺς ἀνθρώπους διατελεῖ*, ubi appositum verbum *παίζειν* nullam de sententia dubitationem esse sinit, necnon in Apologia p. 37 e ipse Socrates dicit: *ἐάν τε γὰρ λέγω ὅτι τῷ θεῷ ἀπειθεῖν τοῦτ' ἐστὶ καὶ διὰ τοῦτ' ἀδύνατον ἡσυχίαν ἄγειν, οὐ πείσεσθέ μοι ὡς εἰρωνευομένῳ*, quae cum loco e decimo Legum libro petito comparari possunt. Similiter autem Aristoteles in Politicis l. III, p. 1275 b 27 Gorgiae in Larissaeos acerbe dictum ita commemorat ut haec praemittat: *Γοργίας μὲν οὖν ὁ Λεοντῖνος, τὰ μὲν ἴσως ἀπορῶν τὰ δ' εἰρωνευόμενος.* Et *εἰρωνεύεσθαι* autem et *εἰρωνεία* vocabulis idem philosophus in Rhetorica saepius ita utitur ut cavillationem exprimat, velut 1379 b 31 in enumeratione eorum quibus homines irasci solent *καὶ τοῖς εἰρωνευομένοις πρὸς σπουδάζοντας· καταφρονητικὸν γὰρ ἡ εἰρωνεία*, 1419 b 7 in recensione generum ridiculi *ἔστι δ' ἡ εἰρωνεία τῆς βωμολοχίας ἐλευθεριώτερον· ὁ μὲν γὰρ αὑτοῦ ἕνεκα ποιεῖ τὸ γελοῖον, ὁ δὲ βωμολόχος ἑτέρου*, 1420 a, ubi de variis rationibus perstringendi in epilogo adversarii agitur, *ἢ ἐξ*

εἰρωνείας, οἷον· οὗτος γὰρ τάδ' εἶπεν, ἐγὼ δὲ τάδε· καὶ τί ἂν ἐποίει, εἰ τάδε ἔδειξεν, ἀλλὰ μὴ ταδί; neque alienum est cum his id conferre quod auctor Rhetorices ad Alexandrum scripsit p. 1441 b 23: *χρὴ δὲ καὶ ἐν ταῖς κακολογίαις εἰρωνεύεσθαι καὶ καταγελᾶν τοῦ ἐναντίου.* Posteriore autem aetate is usus invaluit, ut *εἰρωνείας* nomen ad figuram rhetoricam referretur, qua contrarium ei quod orator intellegi vult verbis exprimitur, quam Quintilianus (IX, 2, 44) a nonnullis Romanis rhetoribus converso nomine dissimulationem dictam esse testatur, ipse tamen servato Graeco vocabulo *εἰρωνείαν* appellari mavult. Tali igitur *εἰρωνείᾳ* qui utitur, non celare mentem, sed dictionis acumine excitare auditorum animos cupit, unde nobis consueta vocem adhibendi ratio fluxit.
